Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA.

De

HERMENEVTICA VERA ET FALSA

Ad

2. Petri. I. v. 20. 21.

QUAM,

SPIRITU SANCTO ANNUENTE

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Plurimum Reverendi Amplissimi

atque Excellentissimi

DN. BALTASARIS BEBELII

SS. TH. D. ET PROF. ORDINARII LONGE CELEBERRIMI, SUMMI TEMPLI ECCLESIASTÆ ET COLLEGII WILHELMITANI INSPECTORIS GRAVISSIMI,

Dn. Patroni, Præceptoris, atque Promotoris sui omni honoris & reverentiæ cultu devenerandi

In inclyta Argentoratensi Universitate

Publice defendendam suscepit

Ad diem 2 ~~Febr~~ Martii ANNO M DC LXXVI. hor. locq; cons.

JOHANNES DANIEL BUCH MOENO-FRANCOFURT.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

2



I. N. D. N J. C.

De

Scripturæ authenticè explicandæ principio & regula vera & falſa.

§ I.

I. *Proœmium.*



Ræſenti diſputatione *de Scripturæ authenticè explicandæ principio & regula diſſerimus*; quandoquidem nobiſcum, DEO volente, conſtituerimus, de claſſicis quibusdam ſcripturæ dictis, eorumque ſenſu, cum adverſariis noſtris, ex mente antiquitatis diſceptare. Adverſarii illi noſtri, ſi quo ſcripturæ dicto urgentur, appellant vulgo ad explicationem Eccleſiæ ſuæ, & conſenſum antiquitatis, tanquam genuinus ſcripturæ ſenſus non ſit, niſi is, *quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſcripturarum ſanctarum, aut etiam unanimis conſenſus Patrum*: quæ verba ſunt ſeſſionis quàrtæ Concilii Tridentini. Conſona iis, quæ in Profeſſione fidei, à Pio IV. edita, continentur. Quid huic principio, & regulæ huic explicandæ ſcripturæ tribuendum; & quod contra ſit genuinum principium, & infallibilis regula ſensus ſacri indagandi, & percipiendi, prius oſtendemus, & præſenti quidem diſſertatione Academica, quam ad ſingulorum dictorum explicationem deſcendamus: Deus mentis noſtræ nobis oculos aperiat, ut videamus mirabilia in lege ipſius! Amen!

II. **Distinctiones & explicationes terminorum.** **quid Prophetia.** §. 2. Ut autem de sensu propositi thematis nostri, deque statu controversiæ clarius constet, singula ejus verba prius erunt explicanda: subjectum est: *scriptura*, nempe κατ' ἐξοχὴν sic dicta, quam Deus sanctis amanuensibus suis, Prophetis & Apostolis, dictavit; eam ipsam, quam Petrus 2. Epist. I. 20 vocat προφητείαν γραφῆς: *Prophetiam scripturæ*; quo nomine, juxta Lorinum, *omnis divina scriptura censeri ac dici potest*; quia, nisi Deo dictante, mysteria ejus sciri nequeunt; *quidquid* autem, *nisi Dei potest instinctu sciri, Prophetia est.* Auctore Gregorio M. homil. I. in Ezech. confer Cornel. à Lap. Comm. ad I. c. Pet. & D. Gerh. I. c. Notetur simul, quod de iis præcipue locis scripturæ sermo nobis sit, quæ continent mysteria captum nostræ rationis transcendentia, præsertim si accedit dictionis difficultas.

Authentica interpretatio §. 3. *Authenticam interpretationem* eam voco, quæ conformis est menti Spiritus Sancti, adeoque genuinum proponit sensum, specie non diversum ab eo, quem Spiritus Sanctus in corde habuit, cum verba ista dictitaret, quemque ille vult à nobis quoque apprehendi. 2. Pet. I. 20. vocatur ἐπίλυσις *Explicatio*, *resolutio*, ab ἐπιλύειν *resolvere*, *explicare*, *sensum eruere*, sicut Christus in parabolis hactenus locutus, suis discipulis petentibus ἐπέλυε πάντα *omnia explicabat.* Marc. IV. 34. Dividitur ibidem locorum ἐπίλυσις in ἰδίαν *propriam*, & propriæ oppositam θεόπνευστον, *divinitus inspiratam*, seu divinitus inspiratæ conformem. *Propria* sic dicitur non à *subjecto*, cujus ista interpretatio est; sic enim omnis ea explicatio erit propria i. e. à mente divina aliena, quæ ab aliquo homine singulari proficiscitur; i. e. non erit propria; Nam & illa interpretatio, seu explicatio ab hominibus quibusdam singulis proficiscitur, quæ cum divina mente convenit; sed à *modo*, quæ aliud principium, quam divinum, habet; & nexum subjecti cum prædicato alium, quam rei natura permittit. Unde patet, quæ sit propriæ opposita ἐπίλυσις: ἐπίλυσις, nampe ea, quæ conformis est menti divinæ, & totam Ecclesiam, imo omnes homines, obligat, ut apprehendatur & probetur.

principium: §. 4. *Principium* hujus ἐπιλύσεως rationem istam voco, unde explicatio primum proficiscitur, & in quam ultimato

etiam

etiam resolvitur, ita ut certus sim, me genuinum sensum apprehendisse. Hoc principium dividi potest in personale, & reale; *Personale* statuimus esse Spiritum Sanctum, eum ipsum, qui Prophetas quondam, & deinde Apostolos ita afflavit, ut non nisi divina oracula scriptis suis committerent. 2. Pet I. *Reale* credimus esse ipsam Scripturam sacram, suæmet ipsius explicatricem. ℣. 21. eamque in legitimo suo usu constitutam; sunt enim certi quidam modi, quibus tractanda illa est, ut suam ipsa mentem aperiat in locis hinc inde *difficilioribus* (δυσνοήτοις, 2. Pet. III. 16.) *intellectu*. Hilarius prologo in Psalmos vocat claves; *Nam liber omnis*, inquiens, *similis est urbi pulchra atq; magna, cui ades complures, diversaq; sint, quarum fores propriis clavibus diversisq; claudantur: qua cum unum in locum congesta permixtaque sint, volenti unamquamq; adem aperire, maximam ignaro afferant difficultatem, ut claves uniuscujusque adis inveniat: sitque aut familiaris scientia cognitam clavem cito ex copia illa congesta in unum varietatis eligere, aut ingentis laboris aptam aut congruam clavem aperiendi uniuscujusque adibus invenire: quia ratio & qualitas non sinat, non suas claves claustris disparibus coaptare.* &c. f. m. 338. Finis harum clavium, seu regularum, est, aperire mentem Scripturæ sacræ, *ut, quia dictum non ambigitur, quatenus dictum sit possit intelligi*: quæ ejusdem Patris verba sunt lib. V. de Trin. f. m. 59.

personale, reale.

III. *Status Controversiæ:*

§. 5. Ex dictis patet thesis nostra, & status controversiæ, nempe hic: *An Spiritus Sanctus sit principium, & Scriptura sacra ipsa regula sacras literas authentice, seu ad mentem divinam explicandi?* Nostrates affirmant, ut colligi potest ex Form. Concordiæ Epit. p. m. 570. Et declar. p. m. 632. Pontificii negant, uti potest deduci ex Sess. IV. Concilii Tridentini superius tacta, hic plenius recensenda, sunt autem verba hæc: *Sacrosancta Synodus ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo sua prudentia innixus, in rebus fidei & morum, ad adificationem doctrina Christiana pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum; aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat: Etiamsi*

Sententiæ

hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Ita Tridentini loquuntur. Et Pius IV. in Professione repetit: *Sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.*

opposita: §. 6. *Dicas*: Non videtur esse inter sententias Evangelicorum & Pontificiorum discrimen, quandoquidem sensus, quem Spiritus Sanctus per scripturas exponit, possit quoque esse ille ipse sensus, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, & approbant Patres in explicanda scriptura invicem consentientes. ℞. Fieri quidem potest, ut Spiritus Sancti i. e. genuinus sensus sit ille, quem Ecclesia etiam Pontificia, & Patres unanimi consensu tenent, principia tamen, hinc Pontificiorum, inde Evangelicorum, non sunt uniusmodi: Nam principium Evangelicorum est harmonia sensus explicati cum sensu scripturæ sacræ secundum regulas hermeneuticas tractatæ; Contra Pontificiorum principium est harmonia sensus prætensi cum mente seu explicatione Ecclesiæ & Patrum nonnullorum. Principium igitur sensus divini quoad ipsos, & personale quidem, est Ecclesia; reale vero consensus Patrum.

§. 7. Quæ ut explicatius dicantur & intelligantur, sciendum est, quod vox Ecclesia apud Pontificios ambiguè dicatur; vel enim intelligitur Ecclesia synthetica, vel repræsētativa in conciliis, vel monadica, i. e. solus Pontifex Romanus: Et *synthetica* quidem iterum variè accipitur; vel enim denotat Catholicam Ecclesiam, sicut per universum orbem dispersa est, & quoscunque fideles complectitur; quo sensu accipiunt illi, etiam Pontificii, qui Romanam suis limitibus circumscribunt, & non nisi partem Catholicæ eam agnoscunt; vel significat particularem Romanam Ecclesiam, sicut ea quorundam opinione censetur Mater, Caput, Magistra omnium Ecclesiarum; vel denique notat Caput hujus Ecclesiæ, Episcopum Romanum, qui, uti vicarius sit Christi, & successor Petri Apostoli, ita etiam judex omnium controversiarum Theologicarum, & promus condus infallibilis genuini sensus sacrarum literarum. Nec insuper

per habenda eſt diſtinctio inter Eccleſiam Romanam, & curiam Romanam, quæ non noſtra ſolum eſt, ſed etiam magnorum inter Pontificios ipſos virorum, noviſſime Johannis Launoji, inter Theologos Pariſienſes ut ætate, ita celebritate præcipui. Diſtinguenda eſt etiam Romana Eccleſia in vetuſtiorem, ſicut ea fuit tempore Pauli Apoſtoli, & aliquanto poſt; & recentiorem, qualis ſequioribus temporibus, & noviſſimè evaſit, quando decreta ſua in Concilio Tridentino promulgavit. Ambigue etiam dicitur *unanimis conſenſus Patrum*. Non enim exprimitur, qui ſint illi *Patres*, quorum unanimis conſenſus prætenditur; quod tamen neceſſe eſt, cum inter Patres nonnulli, & plurimi quidem heterodoxiarum, etiam Hæreticarum, inſimulenter, ſaltem ideo, quod Explicationes Hæreticorum nonnunquam ſecuti ſint incautius, quod de Hilario, Ambroſio, Didymo, Hieronymo, Ruffino &c. Origenis ſequacibus; alibi ſcriptorum noſtrorum oſtendimus; Neque explicatur, quis, quantus, qualis, & unde ſit, ille *unanimis conſenſus*. Vel enim intelligitur ſenſus & conſenſus omnium antiquorum Patrum, vel quorundam; ſi *omnium*; quæro, unde de eo conſtet; quandoquidem non omnes Patres ſenſum ſuum de ſcriptura ſacra ſive tota, ſive aliqua, ſcriptis prodiderint, aut ſi prodidiſſent, ea hodie non exſtent; ſi *quorundam* ſolum; *unanimis* non erit conſenſus; aut prius probandum fuerit, ſenſum illum *quorundam* Patrum eſſe *omnium*; hoc vero æque impoſſibile eſt oſtenſu, ac prius, ſed de hoc infra.

§. 8. Hæ diſtinctiones, uti ſenſum Tridentinæ regulæ faciunt ambiguum; ita declarant, quod noſtra regula à Tridentina δὶς διὰ πασῶν ſit diverſa. Fieri enim poteſt, & frequenter hactenus factum eſt, ut quem ſenſum Eccleſia ſive ſynthetica Romana, ſive repræſentativa conciliorum, ſive vetuſtior nonnullorum Patrum, ſive Monadica i.e. Epiſcopus Romanus tenuit, vel tenet, ſit ſenſus, qui noſtra ſaltem Evangelicorum ſententia abhorret à ſenſu Spiritus Sancti, quem in S. literis declaravit; imo etiam à ſenſu quorundam Pontificiorum, qui ſenſum regulæ Tridentinæ hoc vel iſto modo acceperunt. Sicut igitur Pontificii ipſimet varias inter ſeſe & diſcrepantes interpretandi regulas, & principia conſtituunt; ita multo magis noſtra ab ipſorum ſive regula, ſive regulis diſcrepabit. §. 9.

IV. Καλασκευὴ ex 2. Pet. I. 20. 21.

§. 9. Noſtram ſententiam de genuino interpretandi vel explicandi (hæc enim nunc pro Synonymis habemus) ſcripturam principio & regula paucis quibusdam aphoriſmis includemus. Cum vero Scriptura ſacra ſit lucerna pedibus, & lumen ſemitis noſtris Pſ. CXIX. Ideoque dictum aliquod ipſius ſequemur, quod nobis cynoſuræ loco ſit in probatione. Id vero eſt celeberrimum illud Petrinum oraculum, quod poſteriore epiſtola capite I. ℣. 20. & 21. Apoſtolus ſcripſit, & ita ſonat: τῦτο πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως ὐ γίνεται. ὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπυ ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίυ φερόμενοι ἐλάλησαν ἅγιοι θεῦ ἄνθρωποι. i. e. *Hoc primum ſcientes, quod omnis prophetia ſcripturæ propriæ explicationis non ſit; Non enim voluntate hominis allata eſt aliquando prophetia; ſed à Spiritu Sancto lati locuti ſunt ſancti Dei homines.* De quo noſtra facimus verba præſtantiſſimi epiſtolæ Interpretis, Dn. D. Gerhardi noſtri p. m. comm. in l. c. p. m. 164. *Nos dicimus, illum eſſe Spiritus Sancti ſenſum, qui ex verbis ſcripturæ in ſua nativa & propria ſignificatione acceptis colligitur, quique congruit cujuſque loci ſcopo: item antecedentibus & conſequentibus, quique non pugnat cum fidei analogia, h. e. perpetua & conſtante ſcripturæ ſententia, in claris & perſpicuis locis de ſingulis fidei articulis tradita, ac proinde ſcripturam ex ſcriptura interpretandam eſſe dicimus, &c.* Sic ille.

Theſis I. §. 10. Theſis I. *Spiritus Sanctus ſolus eſt authenticus ſcripturæ ſacræ interpres.* Loquor de *authentico* interprete, i. e. eo, cujus explicatio infallibilis eſt à priore, nempe ideo, quod ipſe ſit ejus auctor, ita ut ſufficiat ad probandum, genuinum hunc ſenſum eſſe, quia ipſe dicit, eum eſſe genuinum. Talis interpres ſolus Spiritus Sanctus eſt, nullus autem merus homo. Probatur ex 2. Pet. I. 20. & 21. cur enim ſcriptura ſacra non eſt ἰδίας ἐπιλύσεως? *Quia prophetia voluntate humana non eſt aliquando allata, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti DEI homines*: q. d. auctor ſcripturæ eſt etiam auctor authenticæ interpretationis ſcripturæ, quandoquidem optimus interpres verborum eſt quisque ſuorum. Agnoverunt hoc principium veteres, quotiescunque ſcripturam explicaturi & ipſi Deum orarunt, & alios, ut pro ſeſe apud Deum intercederent, ſolicitarunt.

Atha-

Athanaſius ardenter precatus eſt Deum, ut poſſet ἐν τῷ ἀναγνώσματι νοῦν λαβεῖν *in lectione mentem ſeu ſenſum capere.* t.1. opp. f.m.994. B. Hilarii ad Deũ oratio conceptis verbis exſtat ab ipſomet relata lib.I.deTrinit.fol.12.D. *Nobis enim*, inquit, *non infidelis ſponſionis iſtius auctor eſt, dicens: petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis.* &c. Et eveſtigio: *nos quidem inopes ea, quibus egemus, precabimur, & in ſcrutandis Prophetarum tuorum Apoſtolorumq; dictis ſtudium pervicax afferemus, & omnes obſeratæ intelligentiæ aditus pulſabimus: ſed tuum eſt, & oratum tribuere, & quæſitum adeſſe, & patere pulſatum. Torpemus enim quodam naturæ noſtræ pigræ ſtupore, & ad res tuas intelligendas intra ignorantiæ neceſſitatem ingenii noſtri imbecillitate cohibemur; ſed doctrinæ tuæ ſtudia ad ſenſum nos divinæ cognitionis inſtituunt, & ultra naturalem opinionem fidei obedientia provehit.* &c. Hieronymus, continuaturus expoſitionem Jeſaiæ, rogat Euſtochium ſuam, ut *ſe in ſcripturarum explanatione certante, ipſa cum Moſe ad DEVM elevet manus.* Præf. in comm. Jeſ. c.3. Hypotheſis harum precum eſt noſtra theſis, nempe, Spiritum ſanctum unicum eſſe ſacrarum literarum interpretem infallibilem.

§. 11. *Conſequitur* hinc, quod malus ſcripturæ interpres ſit omnis ille, qui in explicando non dependet à Spiritu ſancto, ita ut ipſius explicatio ſit conformis menti & explicationi Spiritus ſancti. *Ratio* eſt, quia talis alicujus interpretis, à Spiritu ſancto in explicando non dependentis, interpretatio eſt ἰδία *propria.* Cujus ſcripturam ſacram *non eſſe*, profitetur Petrus Apoſtolus. Sive quis igitur perſona ſit publica, ſive privata, Clericus vel Laicus, Epiſcopus Romanus vel alius, unus vel plures, in concilio, vel extra concilium exiſtens, homo vel Angelus; Si interpretatio ipſius non eſt conformis menti Spiritus ſancti, ſacros amanuenſes animanti, genuinus ſenſus non erit, nec catholicus, ſed privatus. Confirmatur ex eo, quod Apoſtolus nullam aliam rationem, cur ſenſus verus ſit, ponat, quam inſpirationem divinam, nullum hominis ſtatum, reſpectum, officium, locum, tempus, quo quidem immediate influat in genuinam ſcripturæ interpretationem.

§. 12. II. *Spiritui ſancto in percipiendo, & docendo genui-* II.

 no ſen-

no sensu subordinantur homines εὐτακτοι. Sicut enim Spiritus sanctus olim Prophetis & Apostolis, & per hos aliis hominibus voluntatem divinam revelavit: ita hodie quoque hominibus quibusdam, & per hos aliis, sensum oraculorum divinorum offert & confert. Vult quidem omnibus hominibus notitiam sui sensus conferre; Non clericis solum, sed etiam laicis; Nam Petrus suas epistolas etiam Laicis inscripsit; Id tamen vult sub certo ordine, in quo hominem collocatum vult eum, qui sensum scripturæ genuinum sibi promittit. Probatur ex 2. Pet. I. 19. ubi commendat προσέχοντας τῷ λόγῳ προφητικῷ, *attendentes verbo Prophetico*, quæ προσοχή, sive *attentio*, tanquam explicatio & intuitio lucis hodogeticæ, præcedat diem agnitionis & veræ fidei, in cordibus attendentium exorientis: Sicut igitur, qui à lucerna in loco caliginoso lucente desiderat illuminari, opus habet applicatione & intuitione istius lucis, sive lucernæ, tanquam medii ad illuminandos oculos naturâ ordinati; Ita, qui lucem sensus divini, in tenebris hujus mundi radiantem, nosse vult, opus habet attentione, tanquam ordine divinitus constituto. Confirmatur manifeste ex connexione versiculorum 19. 20. 21. In vers. 19. Apostolus thesin ponit, bene facere eos, qui attendunt sermoni prophetico, donec dies agnitionis exoriatur in animis ipsorum; vers. 20. probat thesin ex eo, quod explicatio scripturæ non fiat ex arbitrio humano, sed (quod supplendum & subintelligendum est) ex divino: vers. 21. hoc ipsum probat ex eo, quod scriptura prophetica sit allata ex arbitrio non humano, sed divino, nempe ex inspiratione divina: Hinc argumentum: Quicunque in percipiendo divino scripturæ sensu homines alligavit ad προσοχήν, attentionem, tanquam ad intuitionem sermonis prophetici, lucernæ lucentis; ille vult eos constitutos esse in certa τάξει; Spiritus sanctus in percipiendo genuino scripturæ sensu homines alligavit ad προσοχήν &c. E. Spiritus sanctus homines constitutos vult in certa τάξει. Brevius: Quidquid pendet ex προσοχῇ pendet ex τάξει; Explicatio scripturæ pendet ex προσοχῇ. E. Explicatio scripturæ pendet ex τάξει.

III. §. 13. III. *Pietas hominis magnum adfert momentum in percipiendo genuino sensu sacrarum literarum.* Probatur ex 2. Pet. I. 19.

I.19. ubi censet, καλῶς ποιεῖν, *bene facere* eos, qui ad verbum Propheticum respiciunt, tanquam ad lucernam lucentem in loco caliginoso: Bonum igitur opus faciunt, quicunque sacras literas in conspectu habent, cujus consequens est exortus diei, i.e. veræ agnitionis Christi. Suffragantur Patres, ad illud Jesai. VII.9. Si non credideritis, non intelligetis; *diligentius*, inquit Eusebius, *vero attendere, par est, ipsius oraculi exordium, quod legentes admonet, si non crediderint, nec intellecturos quidem esse: Et sane adnotare necesse fuit, atque ostendere, quod non solum intellectu, sed etiam fide iis, qui lecturi sunt, opus sit; & vicißim, non solum fide, sed etiam intellectu. &c.* lib. VII. dem. Evangel. f. m. 315 B. Quæ & Hilarii sententia est, *intelligentiæ*, dicentis, *vera à DEO donum, fidei munus est, per quam infirmitas sensus gratiam revelationis meretur.* &c. lib. XI. de Trinitat. fol. 174. Quorsum referenda est puritas mentis à præconceptis opinionibus liberæ; Sicut enim lucernam lucentem recte intueri non potest, qui ictero laborat; ita genuinum scripturæ sensum nec ille percipiet, qui erroribus pertinaciter præoccupatus est: *Ad scripturarum indaginem, verumque intellectum, opus est vita proba, animo puro, & virtute, quæ secundum Christum est, ut mens per ejus tramitem decurrens, ea, quæ expetit, adipisci poßit, quatenus fas est, humanam naturam, quæ DEI verbi sunt, intelligere. Nam sine pura mente & vita sanctorum imitatione nemo comprehenderit sanctorum verba.* &c. verba sunt Athanasii de incarnat. verb. t. I. fol. 110. C. Quod si mens præoccupata fuerit, accidit, quod Optatus Milevitanus scribit: *Legisti quidem, sed ut se res habent, intelligere noluisti, studio criminandi ad convicium Catholicorum cuncta componens, multum ad arbitrium tuum destinare conatus es.* lib. V. advers. Parmen. pag. 130. & pag. 132. *Sensus tuos invidia depravavit, & intelligendi tibi aditus clausit.* Hæc Optatus.

IV. §. 14. IV. *Ordo divinus requirit, ut in explicanda scriptura sacra ipsam adhibeamus & consulamus.* Probatur thesis ex præmissis. Nam duo potissimum dicit Apostolus; Et (1.) quidem (si naturæ ordinem sequamur) *diem illucescentem, & exortum in cordibus nostris Luciferi*; i.e. genuinum scripturarum, & mysteriorum in ipsis contentorum, sensum, sicut ille in animis

legentium vel audientium agnoſcitur: hic finis ꝰ eſt, ad quem reſpiciendum eſt primo; & effectus, qui tandem ſequitur. (2.) *Media*, quorum unum eſt proximum, alterum remotum. Proximum eſt ἐπίλυσις *explicatio* ſcripturæ, quippe quæ lucem illam applicat oculis animi noſtri, ut videant claritatem verbi & ſenſus divini. Remotum eſt προσοχή *attentio* ad illud lumen; Uterque actus, & explicatio, & attentio verſantur circa idem objectum, nempe uterque circa ſcripturam ſacram, ſed diverſimode acceptam. Ἐπίλυσις ſcripturam habet pro theſauro concluſo, quem reſerat, ut oculis conſpici, i. e. intelligi poſſit; προσοχή verò, ſeu attentio circa eandem quidem, ſed ut lucem, quæ in loco caliginoſo lucet, & contemplanda eſt, ut lucem in oculis contemplantium accendat. Scriptura igitur & objectum eſt, quod declarandum; & medium, quo declaratio facienda eſt. Scripturæ interpretatio non fit ex arbitrio humano, ſed divino; quare bene faciunt, qui prophetico verbo attendunt, utpote per quod tanquam lucernam accenditur dies clara intelligentiæ & agnitionis myſteriorum divinorum.

§. 15. Hanc theſin confirmat teſtimonio ſuo antiquitas, Athanaſius orat. adverſ. gent. t.1. f. 1. ſtatuit: ſcriptura ἀφ᾽ ἑαυτῆς ἔχει τὸ γνώριμον, *à ſe ipſa habet ſui intelligentiam*; Ejusdemque judicio *abſurdum, imo magnopere impium eſt*, τοιαύτας ἐχούσης τῆς γραφῆς τὰς εἰκόνας, ἐξ ἄλλων ἡμᾶς περὶ τοῦ κυρίου διανοεῖσθαι: *cum ſcriptura habeat tales imagines, aliunde nos Dominum noſſe*: de decret. Synod. Nicæn. t. 1. f. 260. D. Præclare etiam Hilarius lib. I. de Trinit. fol. 7. diſputat, *optimus*, inquiens, *lector eſt, qui dictorum intelligentiam exſpectat ex dictis potius, quam imponat; & retulerit magis, quam attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum. Cum itaque de rebus DEI erit ſermo, concedamus cognitionem ſui DEO, dictisque ejus pia veneratione famulemur. Idoneus enim ſibi teſtis eſt, qui, niſi per ſe cognitus non eſt.* Et lib. IX. f. m. 118. *Apoſtolicam fidem ſeculi homo non capit, & ſenſus ſui dicta alius, præterquam ipſius ſermo, non explicat.* & comm. in Matth. can. 7. f. 267. *Non nos intelligentiam fingimus, ſed geſta ipſa nobis intelligentiam impertiuntur; Neq; enim res intelligentiæ, ſed rei intelligentia ſubſecundat.* Quæ omnia eo tendunt, quod ſcriptura ex ſcriptura ſit explicanda.

§. 16. V. Thesis: *In explicanda scriptura sacra ex seipsa, respiciendum est ad fontes, seu linguas originales, in quibus verbum Dei primum inspiratum est.* Colligere hanc thesin licet ex eodem dicto Petrino. Dum enim propriam removet ἐπίλυσιν Apostolus, eam reddit caussam, quod prophetia non sit allata ex voluntate humana, sed divina, quippe quod sancti DEI homines *locuti* sint ex instinctu Spiritus sancti. Instituenda igitur est interpretatio secundũ *loquelam* Prophetarum, ea vero fuit *Hebræa* in V.T. sicut *Græca* est Apostolorum in N.T. Et ratio ipsa hoc suadet, (supposito, fontes esse Hebræos, & Græcos,) quod ex his linguis explicatio instituenda sit: primum enim in his Idiomatibus verbum DEI propositum est; primum autem in uno quovis genere est mensura reliquorum; Eusebius Cæsar. dem. Evang. lib. VI. cap. 20. explicans vaticinium Jesaiæ urget literam Hebræam: ὅτω γὰρ ἔχειν φασὶ τὴν Ἑβραίων φωνὴν: λεγέτωσαν δῆτα ἑβραίων παῖδες: *Sic enim habere ajunt Hebraicam vocem; Dicant ergo Hebræi &c.* Hieronymus omnium frequentissime hoc urget, & ipse exercuit: *Necessitate compellimur*, ait, *ut crebrius, quam volumus, de verbis Hebraicis disseramus; Nec enim possumus scire sensum, nisi eum per verba discamus.* &c. Comm. in Eccles. t. VII. c. 1. fol. m. 32. D. Ad Vitalem scribit, *se ad Hebraicam veritatem tanquam ad arcem confugere*; Et in cap. 8. Zachar. *Cogimur*, inquit, *ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis, quam de rivulis, quærere.* Confer Apol. advers. Ruffin. t. 3. fol. 103. D. V.

§. 17. VI. Thesis: *Scripturæ invicem conferendæ sunt, adeoque etiam V. T. & N. Testamentum.* Insinuat hanc regulam Petrus vers. 16. collato cum vers. 19. 20. 21. Nam vers. 16. mentionem facit Evangelii à sese prædicati, & revelati, illudque confirmat cum ab αὐτοψίᾳ, quod ipse, & collegæ vidissent gloriam Christi in monte, Matth. XVII. 1. seqq. tum ab auditu, quo percepissent vocem Patris é Cœlo sonantis, de Filio sibi dilecto, & audiendo; præcipuè autem à verbo prophetico, istis omnibus firmiore, & idoneo, quo corda illuminentur vera Messiæ agnitione. Confert igitur complementum Novi Testamenti cum verbo Veteris Testamenti, & hoc quidem pro lucerna habet, per quam corda ad intelligentiam mysteriorum divi- VI.

 norum,

norum, in ſcripturis contentorum illuminentur. *Hunc morem*, refert Hieronymus, *habeo, ut quotiescunque ab Apoſtolis de veteri inſtrumento aliquid ſumitur, recurram ad originales libros, & diligenter inſpiciam, quomodo in ſuis locis ſcripta ſint.* &c. Comm. in c. III. Epiſt. ad Gal. f. m. 86. F. Et præfat. quæſt. ad Hedib. t. IV. fol. m. 62. D. *Abyſſus*, ait, *Veteris Teſtamenti invocat abyſſum Evangelicam*, & quaſi exauditur, inſtituta collatione: Hanc methodum cum ſpernant Judæi, mirum non eſt ad genuinum ſcripturæ ſenſum eos non pervenire: *Habent Iudæi panem, ſed absque fortitudine; habent aquas, ſed absque robore; Legunt enim ſcripturas, ſed non intelligunt; Tenent membranas, & Chriſtum, qui in membranis ſcriptus eſt, perdiderunt.* &c. Ita idem Hieron. comm. in Jeſ. III. 1. f. m. 8.

VII. §. 18. Nec inſuper habenda ſunt (quæ VII. Theſis eſt) *antecedentia & conſequentia textus.* Elicimus regulam ex reſpectu veteris & novi Teſtamenti; iſtud præceſſit, hoc inſecutum eſt. Utrumque confert Apoſtolus, quia in veteri prædictum eſt, quod in novo impletum eſt: ſic interdum antecedentia ſequentibus facem præferunt, ut præfert hodogeta faculam iter facienti, ut viam inveniat. Ad antecedentia reſpiciendum eſt, exemplo Hieronymi, *legamus*, inquientis, *paulo ſuperius, & ſic ad hæc verba veniamus, ne de extremis partibus, &, ut ita dicam, cauda capituli, totam ſententiam noſſe cupiamus.* &c. ℞. ad 2. quæſt. Amandi, t. IV. fol. 60. B. Et ℞. ad quæſt. XI. Hedibiæ, fol. 68. A. *Totum loci hujus* (2. Cor. 11. 15. 16.) *Capitulum proponamus, ut ex præcedentibus & ſequentibus poſſint intelligi media, quæ ex utroque contexta ſunt.* Ad conſequentia: ἀνάγνωτε δὲ καὶ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ῥημάτων, *legite vero etiam conſequentiam verborum*, ait Athanaſius ad Arianos orat. II. adv. ipſos f. m. 317. D. Et ad Arium: *Erit tibi liquidiſſimus iſtius loci intellectus, ſi in manus ſumas Prophetam, & ſequentia legas* (ἐκ τῶν ἑπομένων, *ex conſequentibus.*) diſput. f. 143. C. Suffragatur Hilarius, dicens: *intelligentiam ſenſuum in conſequentibus requiramus*, lib. VII. de Trinit. f. 93. Atque ita, ut ſummatim complectamur, *dictorum intelligentia aut ex præpoſitis, aut ex conſequentibus exſpectetur:* eodem promittente lib. IX. f. m. 118.

VIII. §. 19. Theſis VIII. *Analogia fidei, & ſcopus dictorum ſtudioſe*

diose attendendus est. Colligitur ex 2. Petr. I. 16. Ubi Apostolus refert, quod annunciarit suis auditoribus *virtutem & adventum Domini nostri Iesu Christi, cujus ipsius gloriam viderit.* Christus enim est scopus totius scripturæ; legis, utpote quæ pædagogus fuit in Christum; & Evangelii, cujus centrum est, in quod omnia oracula respiciunt. Quare is demum recte explicuerit scripturam, qui ad Christum eam tandem retulerit. Confer 1. Pet. I. 10. 11. 12. Actor. X. 43. Rom. X. 4. Præclare Hilarius: *omne dictum ut dicatur ex caussa est, & dicti ratio ex sensu erit intelligenda dicentis* &c. lib. II. de Trin. f. 21. Et lib. IV. de Trin. f. 37. *Sequamur adversus irreligiosas & impias de DEO institutiones, ipsas illas divinorum dictorum auctoritates, & unumquodque eorum ipso, de quo quæritur, auctore tractabimus.* &c. Eandem regulam inculcat etiam Basilius lib. I. de Bapt. cap. 2. t. 1. fol. 649. A. *Et nominum,* inquiens, *& verborum, ac rerum usum, in divinitus tradita scriptura, de DEO, & de Christo ipsius, in sanctis Prophetis, Evangelistis, & Apostolis, non utcunque, ac temere, pro communi consuetudine accipiendum,* ἀλλὰ δεδοκιμασμένως ἐν ἁγίῳ πνεύματι, πρὸς τὸν σκοπὸν τῆς εὐσεβοῦς φρονήσεως, *sed ut à Spiritu sancto decretum est, ad scopum piæ sententiæ, idque non universaliter, sed ex parte,* καὶ καθ᾽ ὅσον ἂν ἕκαστον συμβάλληται τῷ προκειμένῳ ὑγιεῖ λόγῳ, *Et quatenus unumquodque ad propositum sanæ doctrinæ facit, & pie sentiendum, & mentem ad judiciorum ac decretorum pietatis cognitionem inducendam esse judico.* Hæc ille, Congruit his, quæ Hilarius in clave ad Psalmum primum notavit: *Principalis hæc in Psalmis intelligentia est,* dicens; *ex cujus persona, vel in quem, ea, quæ dicta sunt, intelligi oporteat, posse discernere.* f. m. 338.

§. 20. Thesis IX. *Pontificiorum regula hermeneutica est* ἄγραφος. Scriptura regulam sui interpretatricem nescit aliam, quam seipsam, utpote quæ sola divinitus inspirata est; Quare, cum verbum ab Ecclesia, sive Patribus, utut consentientibus, prolatum, non sit immediatè divinitus inspiratum, etiam regula interpretandi infallibilis non erit, neque à scriptura approbata. Ecclesia, cujus mentionem Tridentini sessione IV. faciunt, aut intelligitur Catholica, aut Romana, aut hujus caput Pontifex; Catholica non potest intelligi, cum de hac non con- IX. Ἀγαθικάν.

sset,

ſtet, quem de difficilioribus ſcripturæ dictis tenuerit, vel teneat, ſenſum; Neque Romana poteſt intelligi; Nam neque hæc ſcripturam communi judicio uſpiam expoſuit; Neque moraliter poſſibile eſt, hanc, vel iſtam, dubio aliquo ſcripturæ dicto, convocare, ad ſententiam ferendam, vel audire ſcripturas explicantem; Quare aut concilium fuerit, aut Papa Romanus, interpres; ſed neutri ſcriptura infallibilem ſui interpretationem legitur commiſiſſe; Non concilio: ſecus Hieronymus auſus non fuiſſet repudiare explicationem loci Tit. I. 6. de unius uxoris i.e. Eccleſiæ marito Epiſcopo, factam à Patribus Nicænis, ſcribens: *Quidam coactè interpretantur, uxores, pro Eccleſiis, viros pro Epiſcopis debere accipi. Et hoc in Nicæna quoq; Synodo à Patribus eſſe decretum, ne de alia ad aliam Eccleſiam Epiſcopus transferatur &c.* Tranſeo eos, qui ex Pontificiis contendunt, concilium, ſecluſo papa, eſſe fallibile, etiam in quæſtionibus fidei, adeoque & in interpretandis ſcripturis; Nec Papæ Romano; Neque enim hactenus argumentis invictis oſtenſum eſt, quod ille à reliqua hominum, & clericorum etiam, ſorte ita exemptus fuerit, ut in explicanda ſcriptura ſacra errare non poſſit.

§. 21. Si autem regula iſta ἄγραφος eſt, fidem divinam non meretur: *Quod aperte ſcripturarum auctoritate non didici, quaſi ſecretum prætereo:* ait Ambroſ. lib. III. hexaem. c. 3. Et cum de explicando loco Matth. XIII. 35. quis Zacharias ille ſit, ageret Hieronymus, & quidam explicationem, neſcio quam, ex traditione adferrent, tanquam fuiſſet Johannis Baptiſtæ pater, inter templum & altare occiſus, Hieronymus judicium ſuum hoc dedit: *Hoc, quia de ſcripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* &c. Innuens, niſi expoſitio fundamentum in ſcripturis habeat, fruſtra & incertam eſſe. f. 34. F. Idem adverſus Helvidium diſputans t. 3. f. 6. A. de quæſtione: An B. Maria virgo poſt partum Joſepho nupſerit? quod Helvidius ex Matth. I. 25. probare ſatagebat, reſpondet: *Uti hæc, quæ ſcripta ſunt, non negamus, ita ea, quæ non ſunt ſcripta renuimus. Natum Deum eſſe de virgine, credimus, quia legimus; Mariam nupſiſſe poſt partum, non credimus, quia non legimus.* Sic ille, ex eadem hypotheſi, non obligari nos interpretatione ſcripturarum, niſi ea, quam ipſa ſcriptura prodit.

§. 22.

§. 22. Thesis X. *Regula Tridentina est ἀντίγραφος.* Scriptura Petrina dicit, explicationem scriptorum Propheticorum, i.e. ipsius scripturæ sacræ, non esse privatā; Contra dicere cogitur regula Tridentina, esse aliquando privatam, nempe tum, cum Ecclesiæ quidem, i.e. Papæ, vel Patrum consentientium est, menti tamen Spiritus sancti & scripturæ ipsius conformis non est. Talis vero tum est, cum Pontifex Romanus Hæreticus est, & Hæreticè scripturam sacram exponit. Posse autem Pontificem Romanum esse Hæreticum, imo revera fuisse, præter alia probatur exemplo Honorii, qui seculo VII. ab anno *626.* usq; ad an. *639.* i.e. annos XII. & aliquot amplius menses sedit: Is enim Monotheletarum hæresi sese mancipaverat, & propterea à *sexta Synodo Generali Constantinopolitana tertia*, (quam vocat Bellarm. chronol. p. *69.*) Constantino Pogonato Imperatore, celebrata, anathemate percussus est: Verba Synodi sunt hæc: ***Anathematizamus Theodorum, qui fuit Episcopus Pharam, & Sergium, & Pyrrhum, & Paulum, ac Petrum, impios præsules Constantinopolitanorum Ecclesiæ, atque cum eis*** HONORIUM ROMÆ, ***una cum Cyrillo Alexandriæ, nec non & Macarium Antiochiæ, ac dicipulum ejus Stephanum, qui malæ opinionis Apollinarii, & Eutychetis, & Severi, Impiorum Hæresiarcharum, dogmata sectantes, sine operatione ac sine voluntate animatam anima rationali & intellectuali Dei carnem, sensibus læsis, & revera sine ratione, prædicaverunt.*** Sic Synodus fulminat adversus Romanum Episcopum, præsentibus, assidentibus, subscribentibus Episcopi Romani legatis tribus, Donato Ostiensi Episcopo, Marino Romanæ Ecclesiæ Diacono, & Stephano Nepesino Episcopo.

X.

P. R. Hæreticus.

juxta Synodum VI.

§. 23. Curiales Theologi Pontificii, Pighius, Baronius, Bellarminus, & alii, cum verba Synodi, utpote clarissima, in alienum sensum detorquere non possent, gladio nodum hunc Gordium secare audent, dicentes, acta Synodi esse vitiata; ut & Leonis *II.* Episcopi Romani Epistolas, in quibus de ista Honorii hæresi aperte scripsit: sed quam vanum sit, & pudendum, hoc effugium, docuit nuper Joannes Launojus, Theologus Parisiensis, & Romanæ Ecclesiæ addictus, in literis, quas Lutetiæ Parisiorum Anno Christi M.DC. LXIV. 4. Kal. Quintileis ad Raimundum Formentinum, Parisiensium itidem Theologum per-

Exceptiones curialium:

diluuntur per Launojum.

al. ep. 139. perſcripſit: *Legati*, inquiens, *ij non erant utique, qui præter mentem, præter voluntatem, præter ſedis Apoſtolicæ traditionem aliquid ederent, & in medium proferrent. Noverant, Agathonis legatos, cum reverſi ſunt Romam, ac Synodi acta perlegerunt, Leoni II, & Leo II. illa vertiſſet in Latinum, de actorum corruptione conqueſtos non eſſe. At ſi facta fuiſſet ulla corruptio, nonne apud Imperatorem Conſtantinum, qui Synodum convocaverat, tanto cum ſtudio interfuerat, & ſubſcripſerat, de vi actis illata, de injuria Honorio per falſarios irrogata, conqueſti fuiſſent? Conqueſti non ſunt. Occidentales reliqui antiſtites tacuerunt. Quis autem ſciens & prudens Agathonis legatis, quorum unus poſtea fuit Ioannes V. quis Occidentalibus Epiſcopis, qui Synodo interfuerunt, exitioſum Honorio, ſedi Apoſtolicæ, veritati ſilentium improperaret? Improperandum eſſet merito, ſi acta Synodi fuiſſent corrupta! Quis illos omnes & Legatos & Occidentales Epiſcopos publicæ cauſſæ prævaricatores appellaret? Appellari jure poſſent, ſi de actorum vitiatione, & de non errandi privilegio, quod haberet Honorius, tacuiſſent.* Hæc ille, quæ confirmat dictis aliquot Pontificum Romanorum, nempe Cœleſtini in epiſtola ad Galliarum Epiſcopos; Felicis *III.* in epiſt. 1. ad Acacium conſtant. Gregorii *VII.* in lib. *IV.* epiſt. 1. Urbani *II.* ad Remenſem & Comprovinciales Epiſcopos.

Et Pariſienſes alios; §. 24. Secutus eſt in hoc Launojus ſuos parochos & Theologos Pariſinos, in ſcripto, cui titulus: *Nova Hæreſis Ieſuitarum, defenſa publicè Pariſiis in Collegio Claromontano, Theſibus impreſſis d. 12. Decembr. 1661. denunciata univerſis Epiſcopis Galliæ*: Nova illa Jeſuitarum hæreſis erat Theſis ipſorum XIX. hæc: *Papam, quoties ex Cathedra loquitur, eandem habere infallibilitatem, quam habuit Ieſus Chriſtus, non ſolum in quæſtionibus juris, ſed etiam facti, &c.* Temerariam hanc Jeſuitarum ſententiam ut confunderent Galli, objecerunt ipſis Honorii, tanquam Hæretici, Epiſcopi Romani, exemplum, & quia noverant, excipi, acta, ut & literas Leonis II. eſſe corruptas; reſponderunt: *Ne quicquam hic juvat recurrere ad prætenſam falſationem Actorum Concilii VI. & epiſtolarum Leonis II. Quemadmodum enim hæc exceptio eſt plane improbabilis, ridicula, & aliena, prout ipſi Epiſcopi, etiam qui Ieſuitis erant faventiſſimi, in poſtremo Clericorum conventu*

ventu id agnoverunt, ita præter miserum hoc remedium, nihil afferri potest, quo minus fide divina credatur, Honorium juste anathemate fuisse percussum, & literas ejus tanquam plenas hæresium juste esse condemnatas: imo sensui communi renunciasse eum dixeris, qui aliter de hoc Papa senserit, aut epistolas ejus non habeat pro hæreticis. Hoc illi.

§. 25. Excipiunt porrò *adulatricis curiæ Magistri,* (ita dictus Launojus ipsos vocat) Papam tum demum esse infallibilem, cum ex cathedra definit; Honorium autem, cum literas in favorem Monotheletarum scriberet, ex Cathedra non definivisse; Sed reclamant Parisienses, iterum scribentes: *Loquebatur enim ut judex controversiarum fidei, ut componeret gravissimam contentionem, quæ vigebat tunc in Ecclesia, quæque universos Orientis Patriarchas diviserat.* Exceptiones.

§. 26. In præmissis Jesuitas suo ipsorummet gladio jugulant; Si enim infallibilis est Papa, cum ex Cathedra definit, etiam infallibilis erit in suis epistolis Leo II, quibus definivit, Honorium fuisse Hæreticum; eorum verba hæc sunt: *Atque ita nemo dubitare potest, Papam Leonem II. locutum esse ex Cathedra, quando in aliquot suis Epistolis pro confirmatione Concilii VI. Oecumenici promulgatis, in specie confirmavit condemnationem Honorii, ipsique anathema dixit:* Quia Apostolicam Ecclesiam (*ita sonant verba.*) non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana traditione immaculari permisit. *Atque per consequens, si Pontifices tum, quando loquuntur ex Cathedra, de quacunque id sit materia, sive juris, sive facti, eandem possident infallibilitatem, quam habuit Iesus Christus; sicque omne id, quod tunc pronunciant, est articulus fidei; erit etiam omnino articulus fidei, quod literæ Honorii sint hæreticæ, quodque is, qui id negat, posita regula universali, habeat certissimam Hæreticorum notam, quæ est, juxta S. Paulum, proprio suomet judicio condemnari.* Qui plura velit de illa ex Cathedra definitione nosse, adeat Johannem Launojum in literis ad Martinum Metayerum Parisiensem Theologum Luteriæ Paris. nonis Sextilibus Anno M. DC. LXV. Ebroicas missis.

§. 27. Judicium Synodi Constantinopolitanæ Sextæ confirmavit alia ἁγία καὶ οἰκουμενική, *sancta & universalis* Synodus Suffragium Concilii Trullani.

dus Constantinopolitana, ea nimirum, quæ in Trullo habita est. Illa enim in prosphonetico ad Justinianum Imp. Honorium Romæ Episcopũ refert, τὸ εὐθὲς τῆς ἀληθείας δόγμα παρακεχαρακέναι, *rectum veritatis decretum adulteravisse*; Illud vero ad ipsum fidei fundamentum pertinebat; Erat enim hoc: δύο εἶναι φυσικὰς θελήσεις, ἤτοι θελήματα, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας, ἐπὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ ἑνὸς κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ: *Duas esse naturales voluntates, & duas naturales operationes, incarnato unico Domino nostro Iesu Christo, vero DEO.* Hoc sanctissimum dogma adulterasse ajunt Honorium, statuendo, ἓν θέλημα, καὶ μίαν ἐνέργειαν ἐπὶ τοῦ ἑνὸς κυρίου τοῦ Θεοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: *Vnam voluntatem, & unam operationem* (efficacitatem) *esse in unico Domino Deo nostro.*

Exempla. §. 28. Fuissent igitur explicanda scripturæ dicta: Joh. V, 17. cum Christus ait: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*; item Luc. XXII. 42. ubi idem dicit: *non mea (pater) sed tua fiat voluntas*: Quæso, quo sensu Monotheleta Honorius, Ecclesiæ Romanæ caput, & os, & oculus, illa exposuisset? annon ad mentem hæresis Eutychianæ, non aliam intelligendo humanæ naturæ, quam divinæ, ἐνέργειαν naturalem; nec aliam ejusdem voluntatem naturalem, quam divinam, quippe humana natura, vel certe ejus proprietatibus, in divinam naturã, & ejus proprietates omnino conversis. Hiccine vero sensus fuisset ille à Spiritu S. in dictis istis intentus, & Ecclesiæ ad credendum propositus? Id vero ne ipsi quidem Pontificii dixerint; Fuisset igitur ἰδία ἐπίλυσις Honorii, ab ejus antecessore, scilicet, Petro rejecta; & tamen ex hypothesi Tridentina amplectenda, utpote à *sancta matre Ecclesia*, i. e. papa Romano ex Cathedra definita.

XI. §. 29. Thesis XI. *Regula Tridentina Pontificiis ipsis est contraria.* Probatur ex præmissis: unanimi enim consensu Patrum Constantinopolitani utriusq; Concilii, & eorum, qui vel olim, vel hodie decreta & sententias utriusq; venerantur, Honorius fuit Hæreticus, & Hæreticæ ejus in scripturam explicationes, saltem nonnullæ; Si credendum est patribus, quando unanimi consensu aliquot scripturæ dictum explicant; cur non credendum illis in tantis conciliis congregatis fuerit, cum referunt, Honorium fuisse Hæreticum, i. e. Pontificem Romanum posse

esse

esse Hæreticum, & scripturam Hæreticè explicare; Neque solus est Honorius, sed plures habuit Collegas Hæreticos, qui & ipsi sicut in articulis fidei, ita in interpretandis scripturis sacris errarunt. Juvat audire unicum Hadrianum, olim Professorem Lovaniensem, postea Pontificem Romanum, Sextum ejus nominis; qui artic. III. de ministro confirmationis ita statuit: *Dico, quod si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput ipsius, Romanus Pontifex, certum est, quod possit errare, etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresin per suam determinationem, aut decretalem, asserendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici; Item & novissimè fertur de* Joanne *XXII. &c.* Sic ille statuit, qui ex Professore Episcopus Romanus evasit, nec uspiam legitur sententiam suam retractasse.

§. 30. Eam Johannis XXII. sententiam damnavit *Sacrosancta Romana Ecclesia*, uti scribit Clemens IV. P. R. in epistola ad Palæologum Græcorum Imp. anno M. CC.LXVII. missa; & præterea Theologi Parisienses, uti refert Joannes Gerso, Parisiensis Cancellarius, in sermone de festo Paschatis, explicans illud Christi ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso*: refert enim: *propter quod insuper apparet falsitas doctrinæ Papæ* Johan*nis XXII. quæ damnata fuit cum sono buccinarum vel tubarum coram Rege Philippo avunculo tuo per Theologos Parisienses de visione beata, & credidit potius Theologis Parisiensibus, quam Curiæ. &c.* Observa, quod Cancellarius de verbis Christi, Luc. *XXIII.*43. dicit, exinde probari, quod animæ fidelium statim perveniant ad visionem Dei beatificam, contra sententiam Pontificis Romani, adeoque etiam contra interpretationem ejus ad illa Christi verba.

§. 31. Exstant quorundam scripturæ dictorum explicationes, & quidem à præcipuis Patribus factæ, sic, ut stylo Tridentino ex *unanimi* ipsorum *consensu* profectæ possint dici, quæ tamen ad palatum Curiæ saltem Romanæ non sunt. Sumamus dicta illa, quibus vulgo solent superstruere infallibilitatem, indeficibilitatem, auctoritatem, & eminentiam sui Pontificis Pontificii. Matth XVI. 18. Christus Petro ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum adversus eam non prævalebunt.* Luc. XXII. 32. idem eidem dicit:

Exempla dictorum à Patribus expositorum.

dicit : *Oravi pro te, Petre, ne deficeret fides tua.* Apud Johannem c. *XXI.* 15. eundem Christus alloquitur, præcipiens : *pasce oves meas.* Quomodo hæc dicta patres unanimi consensu explicent, videamus.

I. Matth. XVI. 18. expositum de Petro: §. 32. Dictum *Matth.* XVI. Patrum alii explicant de *Petro*, ut Tertul. de præscript. c. 22. de monog. c. 7. Origenes homil. 5. in Exod. in c. 17. Matth. Lib. V. in epist. ad Rom. apud Euseb. lib. VI hist. c. 19. Cyprianus epist. LXX. & LXXIII. Lib. de unit. Ecclesiæ ; Firmilianus epist. ad Cyprian. Hilarius can. XVI. in Matth. & in Psalm. CXXXI. Basilius in cap. II. Jes. Ambrosius serm. XLVIII. Epiphanius in Ancorato ; Gregorius Naz. orat. XXVI. Hieronymus in cap. XVI. Matthæi, & Epist. LVII. ad Damas. Epist. ad Marcellam ; Augustinus lib. I. Retract. c. 21. Cyrillus Alex. lib. II. in Joh. c. 12. Leo I. epist 75. Maximus Taurinensis homil. I. in Natali Petri & Pauli ; Psellus in c. 5. Cantic. Theophylactus in c. XVI. Matthæi ; Euthymius in l. c. Matthæi.

de Apostolis omnibus. Alii *de omnibus Apostolis, eorumque successoribus*, ut Origenes tract. I. in cap. XVI. Matthæi ; Cyprianus epist. XXVII. Hieronymus in lib. I. contr. Jovin. & in Psalm. LXXXVI. Augustinus in concione II. super Psalm. 30. & in Psalm. 86, & in epist. CLXV. Theodoretus in Psalm. LXXXVI. In cap. XLIII. Ezech. Ambrosius Anspertus lib. III. IV. V. & VII. in Apocal. Etherius & Beatus lib. I. contr. Elipand. Paschasius Radbertus lib. IV. in Matth.

de fide. Alii *de fide Petri*: ut Eusebius Alex. homil. de resurrect. Hilarius lib. VI. de Trinit. Gregorius Nyssenus de Adv. Domini ; Ambrosius lib. VI. super Lucam, c. 9. & in cap. II. ad Ephes. Chrysostomus homil. LV. & LXXXIII. in Matth. & in cap. I. Galat. Augustinus tract. VII. in Joh. & tr. CXXIII. & serm. XIII. in cap. I. Matth. Acacius in concil. Ephes. c. 7. part. 3. Cyrillus Alex. lib. IV. in Jes. orat. II. lib. IV. de Trinit. Juvenalis in literis ad Presb. & Archimand. Leo I. serm. II. & III. de assumpt. de transfig. Dom. serm. II. de nat. Apost. Petrus Chrysologus serm. LIII, & LXXIV. Theodoretus epist. LXXVII. ad Eulal. & CXLVI. ad Joannem Oeconomum ; Scriptor Anonymus in catena Nicetæ super Matth. Eucherius Lugd. homil. de Natali Petri, Felix Papa III. epist. 5. Hormisda Papa in Commonitorio ; Anastasius Patriarcha An-

cha Antioch. lib. II. anagog. Gregorius I. lib. III. epiſt. 33. Iſidorus Hiſpal. lib. VII. Origin. c. 9. Beda quæſt. in Exod. c. 42. homil. de S. Petro: De feria III. palm. in cap. XXI. Joh. Joannes Damaſcenus orat. de transfigur. Hadrianus I. P. R. in epiſtola quæ act. II. Synodi ſeptimæ lecta, & ad Epiſcopos Hiſpaniæ; Forojulienſi concilium à Paulino Aquilei. habitum, Chriſtianus Drutmarus in expoſ. Matth. c. 55. Jonas Aurel. lib. III. de cult. Imag. Hincmarus Remenſis opuſc. XXXIII. c. 5. & 45. & apud Flodoardum lib. *III.* hiſt. c. 13. Nicolaus *I.* epiſt. *II.* ad Michael. Imp. & epiſt. *VI.* ad Photium; Joannes *VIII.* epiſt. *LXXVI.* Theophanes Cerameus homil. *XLV.* Theodorus Abucara epiſt. Orthod. Stephanus *VI.* epiſt. *II.* Troslejan. concil. can. 15. Odo Cluniacenſ. ſerm. de cathed. Petr. Rupertus Tuitienſis lib. *III.* ſuper Matth. & *XII.* in Apocal. Innocentius *II.* epiſt. ad Epiſcopp. Senon. concilii. Hadrianus *IV.* epiſt. ad Freder. Imp. Urbanus *III.* epiſt. ad Archiepp. Cæſarius Cisterciens. homil. de cathed. Petri. Thomas Aquinas in ſuppl. q. XXV. artic. *I.* Stephanus Pariſienſis & Facultas Theol. Pariſ. in literis pro Thoma Aquinate; Alphonſus Toſtatus q. 67. in cap. *XVI.* Matth. Jodocus Chicthoveus contra Lutheran. aſſert. c. *I.* Joannes Eckius lib. *I.* de prim. papæ. c. 13. Renatus Benedictus Pariſ. Panopl. Eccleſia Romana in orat. feſti Leonis *II.* ***De Chriſto*** exponunt Hieron. in cap. 7. Matth. Auguſtinus lib. *I.* Retract. c. 21. & ſerm. *XIII.* in Matth. c. *I.* & *II.* Theodoretus in *I.* Cor. Beda in c. *XVI.* Matth. Paulinus Aquilei. lib. *I.* contr. Felic. Dangalus Diaconus contra Claudium Taurin. Rabanus Maurus lib. IV. de univ. c. *I.* Anſelmus in cap. *XVI.* Matth. Lombardus in c. *II.* epiſt. ad Epheſ. Joannes Saresb. epiſt. 166. Goffridus Viterb. chron. part. *XVI.* Cæleſtinus *III.* epiſt. *XIV.* Innocentius *III.* in ſerm. *II.* de conſecr. Cæſarius Ciſterc. homil. de Cath: Petri. Thomas in ſupplem. q. 6. artic. 6. & in c. *IV.* 1. ad Corinth. Pius *II.* lib. *I.* de geſt. Baſil. Concilii. — de Chriſto.

§. 33. Joannes Launojus in literis ad Gulielmum Voëllum Pariſienſem Theologum fere ante hoc decennium miſſis, conatur enumeratas expoſitiones Patrum & conciliorum inter ſeſe conciliare, ***quoad tamen fieri licet***, ut ipſe profitetur pag. 46. Ait, patres pleroſque primæ ſententiæ ſecundam ***non excludere***, — Expendūtur.

ſed

ſed includere; quandoquidem nonnullij ipſorum ſecundam etiam ſuam fecerint; *reliqui vero ex aliorum, quibuscum vixerunt, communione in alias expoſitiones traduci poſſint* p. 50. Porro, *expoſitionis quartæ auctores cum auctoribus expoſitionis tertiæ ſine difficultate ulla conciliari poſſunt, ut ex illorum verbis colligitur. Nam pene ſunt idem, ſuper Chriſtum, & ſuper Chriſti confeſſionem à Petro editam fundari Eccleſiam; quidquid id eſt, ad unam Chriſti perſonam refertur. &c.* Subjungit συμπέρασμα: *In ſumma*, inquiens, *poſtquam expoſitionis primæ auctores, qui cum aliarum expoſitionum auctoribus conciliari poſtulant, conciliati ſunt, auctores expoſitionis ſecundæ, niſi auctores primæ numero ſuperent, in æqualitatem cum illis veniunt, & ab auctoribus expoſitionis tertiæ & quartæ, quæ nihil, aut parum, inter ſe differunt, omnino vincantur &c.* Id quod ex tribus potiſſimum colligit, ex compoſitione auctorum inter ſe; Ex Jona Aurel. qui *expoſitionem tertiam tractatoribus Eccleſiæ pene omnibus tribuat*; & ex Joanne Eckio, qui dicat, *eam* (tertiam expoſitionem) *à nemine negari*; quod ille dixerit eo maxime tempore, nempe Lutheri, quo minime omnium dicendum fuiſſet, niſi veritas coëgiſſet; Ea enim ſententia ſeu expoſitio *omnium fere Lutheranorum communis eſt*, teſte Bellar. lib. *I*. de P. R. c. 10. Lutheranorum igitur expoſitio ea eſt, quæ pro ſeſe habet unanimem patrum conſenſum, ab expoſitione Pontificiâ diſſentientem, quippe quæ de perſona Petri, & ejus in ſede Romana ſucceſſoribus exponit.

II. Luc. XXII. 32. §. 34. *Dictum alterum* eſt Luc. *XXII.* 32. Hujus quoque diverſæ Patrum expoſitiones occurrunt; & I. quidem eorum maximè, qui docent, *Dominum oraſſe hoc loco pro perſeverantia ſolius Petri in gratia Dei uſque ad finem*, referente Bellarmino lib. *IV.* de P. R. c. 3. Hanc ait eſſe expoſitionem *quorundàm, qui hoc tempore vivunt*, i. e. recentiorum; ſed diſſimulat, etiam Veterum eam eſſe, & plerorumque quidem, præcipuorumque, ſeu, ut cum Joh. Launojo loquamur, *expoſitionem hanc eſſe antiquorum Patrum Eccleſiæ, eamque per traditionem veniſſe ad illud uſque tempus, quo ſcribebat*: epiſt. ad Bevillaq. p. *61*. quam & ipſe *amplectitur, quod in ea ſcripturæ ſenſus ad literam exprimatur.* p. 78. Eſt autem ea expoſitio *Tertulliani* de fug.

I. Expoſitio

in per-

in persec. c. II. *Cypriani* epist. VIII, & de orat. Domin. *Hilarii* Pictav. lib. II. de Trinit. *Basilii* Cæsare: Episc. homil. *XXII.* de humil. *Ambrosii* Mediolanens. in Lucæ cap. *XXII*, & in Psalm. *XLIII.* *Ioannis Chrysostomi* homil. *LXIII*; & homil. de verbis Jerem. c. X. & homil. *LXXXIII.* super Matth. apud Nicetam in caten: Matth. *XXVI.* *Carthaginensis concilii* in epist. ad Innocentium P. R. *Innocentii I.* in epist. ad Concil. Carthag. *Milevitani Concilii* ad Innocent. *I.* Iterum *Innocentii* ad Milevitanum hoc concilium; *Palladii* Helenopolitani in dialogo de vita Chrysostomi; *Augustini* epist. *CCLII*; de correpṭ. & grat. c. 6. 8. 12; Comment. in Psalm. *CVIII.* *CXVIII.* Conc. *XV.* lib. *II.* contr. Julian. c. 217. *Auctoris qq. ex N. T. quæst. LXXV*; *Cyrilli Alexand.* lib. *XI.* sup. Johan. *Leonis I.* Papæ serm. de anniverss. die assumpt. serm. *II.* de natal. Apost. *Prosperi* in epist. ad Ruffin. & contr. Collator. c. 35; *Theodoreti* lib. *III.* Hæret. fabb. c. 5. Bedæ in cap. *XXII.* Lucæ; *Theophylacti* ad l. c. *Oecumenii* ad h. l. *Euthymii Zigabeni* ad h. l. *Petri Damiani* serm. *XXVII.* de SS. Petro & Paulo; *Drogonis* lib. *V.* de Sacram. Domin. pass. *Lombardi* lib. *III.* dist. 17. *Innocentii III*, in serm. *I.* de sanct. Petro & Paulo; *Hugonis Card.* ad Luc. *XXII*: *Alberti M.* in h. l. *Thomæ Aquinatis* caten. in h. l. *Bonaventuræ* in h. l. *Glossæ interlin.* in h. l. *Nicolai Lyrani* in h. l. *Occami* lib. *V.* dial. c. 3. *Dionysii Carthusiani* in artic. *XLVIII.* in Lucam; *Thomæ Cajetani* in c. *XXII.* Luc. *Ioannis Majoris* in h. l. *Ioannis Arborei* in h. l. *Ioannis Benedicti* in h. l. *Ioannis Gagnæi* in h. l *Dominici Bannis* in fusioribus ad 22. q. 1. art. 10. dubit. *IV.* concl. 3. *Ioannis Maldonati* Comm. in h. l. *Ioannis Andreæ Coppensteinii* part. *III.* quadrihor. *Gabrielis à Porta Jesuitæ* in dictat. Burdigal. anno 1634. Paris. editis. *Stephani Menochii* in cap. *XXII.* Luc. *Alexandri VII.* P. R. in literis ad Lovanienses, anno MDCLXII. exaratis, quippe in quibus Augustinum & Thomam Aquinatem tanquam *præclarißimos Ecclesiæ Catholicæ Doctores* commendat.

§. 35. II. Altera expositio est eorum, qui tradunt, *orasse Christum, ut Romana Ecclesia per Petrum fundata à fide nusquam deficiat.* Pro hac expositione allegantur *Lucius I.* epist. 1. ad Episc. Hispan. *Felix. I.* epist. ad Beningn. *Agatho* P. R. in epist. 2. Expositio.

D ad Con-

ad Constant. Imper. *Petrus Damianus* serm. XXIII de nativ. Bapt. *Gregorius VII.* P. R. epist. I. ad Simandens. Archiep. *Jacobus Cardinalis Vitriacus* Orient. hist. c. LXXV. *Thomas Aquinas* in expos. Symboli. *Johannes* XXII. P. R. in canoniz. Thomæ ; §. VII. *Pius* II. P. R. epist. CCCXCVI. ad Mahomet.

3. Expositio. §. 36. III. Expositio eorum est, qui volunt orasse Christum, *ut Sedes Petri, seu Apostolica Sedes à fide nunquam deficiat.* Ita exposuisse fertur *Leo* IX. P. R. epist. V. ad Petrum Antioch. *Gregorius* VII. lib. II. epist. 31. ad Henricum; & lib. III. epist. 18. ad Simeonem Hisp. Episcop. *Bernardus* epist. CXC. ad Innocent. *Innocentius* II. P. R. epist. ad Senon. Concil. *Innocentius* III. epist. ad Arelat. Episc. & serm. II. de consecr. Rom. Pont. & serm. III. de ead. *Albertus M.* in cap. XXII. Luc.

4. Expositio. §. 37. IV. Classis eos continet, qui *tradunt, orasse Christum, ut universalis Ecclesia, vel etiam universale Concilium, à fide nunqnam deficiat*: sic tradidit *Leo* IX. epist. 9. *Hildebertus Cenoman.* in epistol. de calamitate Paschalis II; *Goffridus Viterbiens.* chron. part. XVI; *Thomas Aquinas* in 22. q. II. artic. VI. & quæst. XXV. artic. I. *Bonaventura* in c. XXII. Luc. *Guilielmus Occam*, lib. V. dial. c. 3. *Thomas Valdensis* t. 1. doctrin. l. II. artic. II. c. 19. *Martinus V.* approbans Thomæ Commentarios. *Petrus Alliac.* part. III de auctor. Eccles. c. 1. & 4.; *Johannes Gerson* de potest. Eccles. concl. IV. *Joannes Brevicoxa* de potest. Eccles. & Concil. *Beatus Vincentius Ferrerius* serm. de fer. VI. post Læt. *Nicolaus Clameng.* de corrupt. Eccles. stat. c. 25. *Nicolaus Tudescus*, seu Panormitanus, in cap. significasti. de elect. *Jacobus Almainus* de auctor. Eccles. c. 10. *Cyprianus Benetus* de non mutand. Pasch. fundam. 13. *Magister Francisscan.* in mandat. anno 1532. citante Raynaud. in t. X. annal. Eccles. *Johannes Driedo* lib. IV. de Eccles. dogmat. cap. 4. part. 3. *Fanciscus Victoria* de potest. Pap. *Antonius Cordub.* Theol. qq. lib. IV. q. I. præpos. 3. 4. q. 3.

Iudicium. §. 38. Habes de loco Lucæ expositiones Doctorum, qui apud Pontificios pro Catholicis habentur, quatuor diversas; quarum primam Bellarminus loc. cit. refellere conatur; sicut & quartam, tanquam utramq; falsam; Et tamen prima illa unanimi Patrum, etiam in Conciliis collectorum, sententia recepta, & con-

continuata est, usque ad tempora Bellarmini; qui post annum M. D. LXXVII. Romæ docere instituit. Altera expositio pro sese habet plerosque Episcopos Romanos, & Romæ addictos quosdam pauculos Theologos; i. e. testes omnes de domo; imo nec eos omnes genuinos; Nam Lucii I. epistola; ut & Felicis I. pro suppositititiis habentur ab ipsis Pontificiis, uti Launojus in literis ad Antonium Varillaum λόγοις λευκοῖς demonstravit: Reliqui recentiores sunt. De tertia idem judicandum est. Prima sententia, quæ unanimem pro sese habet Patrum consensum, est communis Lutheranorum expositio; Pontificiis autem ea, utrisque saltem, non arridet, cum videant, si Christus de solo Petro locutus est, ad suum Pontificem Romanum id non spectare. Expositio Bellarmini nulli istarum quatuor convenit; Est enim *tertia* (rectius quinta) ejus expositio hæc: *Quod Dominus duo privilegia Petro impetraverit: Vnum, ut ipse non posset unquam verām fidē amittere, quantumvis tentaretur à Diabolo, id quod est amplius, quam donum perseverantiæ: dicitur enim perseverare usque in finem, quem qui licet interdum cadat, tamen resurgit, & in fide fidelis invenitur. At Petro Dominus impetravit, ut non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet. Alterum privilegium est, ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem, sive ut in sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem. Ex quibus privilegiis primum fortasse non manavit ad posteros, secundum sine dubio manavit ad posteros, seu successores.* Hanc vero suam expositionem ex unanimi Patrum consensu, aut judicio Ecclesiæ Catholicæ non probat; Licet igitur Ecclesiæ Romanæ Doctoribus fovere, & docere expositiones, quæ Ecclesiæ Catholicæ, & Patrum antiquorum non sunt, i. e. contra sanctionem Concilii Tridentini.

§. 39. *Tertium dictum* est Johan. XXI. 15. quod Bellarminus lib. IV. de P. R. c. 3. adducit, ut probet, Pontificem Romanum *errare non posse, cum docet Ecclesiam Catholicam*, ne ipso errante tota Ecclesia erret; sicut adduxerat lib. I. de P. R. cap. 14. 15. 16, ut obtineret Pontificem Romanum *institutum esse pastorem & Doctorem totius Ecclesiæ*, quem tota Ecclesia *audire teneatur, & sequi*, minimè vero *judicare*; Dictum igitur ille exponit de III. Ioh. XXI. 15.

ſolo Petro, & ſolis ejus ſucceſſoribus, Epiſcopis Romanis; ſed, de ſolis hiſce intelligenda eſſe iſta Chriſti verba, unanimis Patrum conſenſus non permittit, quippe qui Epiſcopo Romano *Coëpiſcopos* adjungit, quod faciunt ipſimet R. Pontifices *Stephanus, I.* epiſt. ad Cypr. 46; & 48; *Liberius* P. R. ad Euſebium ſcriptis Epiſtolis; item in epp. ad Urſacium, Valentem, & Germinium, ad Conſtantium Imper. *Siricius* P. R. epiſt. IV. Ad Anyſium &c. *Innocentius I.* P. R. epiſt. VII. ad Ruf. XI. ad Aurelium Carthag. XIV ad Atticum; XVII. ad Acacium; XIX. ad Martianum: XX ad Ruf. cap. 5. ad Carthaginenſe Concilium; Ad Milevitanum Concilium; Confer epiſt. XCIII. inter epp. Auguſtini; *Zoſimus* P.R. epiſt. ad Heſych. cap. 11. Ad Aurelium; *Bonifacius I.* P. R. epiſt. II. & III. ad Ruf. Epiſt. ad Epiſc. Theſſal. &c. *Cæleſtinus* epiſt. ad Epiſc. Gal. c. 8. Ad Perigenem &c. Ad Epheſinam Synodum; *Xyſtus III.* epiſt. 1. ad Perigen. Epiſt. II. ad Syn. Theſſal. Epiſt. III. ad Procl. IV. ad Illyr. Ad Cyril. Alexand. Ad Johan. Antioch. *Leo I.* epiſtol. V. ad Dorum; VII. ad *Theodoſ.* *XVIII.* ad Pulcher. XXV. ad Synod. Roman. XXXIV. ad Fauſt. XXXIX. ad Pulcher. XL. ad Anatol. c: 4. XLIV. ad Martian. XLIX. ad eund. LI. ad Pulcher. LII. ad Epiſcopp. Galliar. LIII. ad Anatol. cap. 6. LIV. ad Martian. LV. ad Pulcher. cap. 11. & 4. LX. ad Pulcher. Ad Maximum Antioch. c. 11. LXIII. ad Theodor. c. 6. LXIX. ad Martian. LXX. c. 11. ad eundem. LXXIII. ad Leonem; LXXIV. ad eundem; LXXXVI. cap. 1. ad Nicetam; LXXXVII. c. 11. ad Mauritaniæ Epiſc. LXXXIX. ad cap. 3. 4. 8. Viennenſ. Epiſtol. ad Turrib. c. 17. Epiſt. C. ad Gennad. CV. ad Julianum Coënſ. *Hilarius* P. R. epiſt. ad Aſcan: *Simplicius* P.R. ad Johannem Raven. Felix III. in Synod. Roman. *Gelaſius I.* epiſt. 7. ad univerſ. Epiſc. Ep. IX. ad Epiſc. Lucan. XII. ad Eonium; *Anaſtaſius II.* epiſt. ad Anaſtaſ. Imper. Symmachus epiſt. 11. ad Eonium; & epiſt. X. ad univerſ. Epp. Gall. *Hormiſda* epiſt. X. ad Avitum; XI. ad Anaſtaſ. XIX. ad eund. XXII. ad Dorotheum; LI. ad univerſ. Hiſpan. Epiſc. &c. &c. &c. *Agapetus I.* piſt. II. ad Afric. III. ad Reparat. *Vigilius* epiſt. IV. ad Juſtin. VI. ad Auxentium &c. &c. *Pelagius* I. epiſt. III. XI. XII. ad Childebertum; *Pelagius II.* epiſt. *III.* ad Gregor. Et ne prolixior ſim,

ean-

eandem vocem agnoſcunt reliqui Romani Epiſcopi, *Gregorius I. Martinus I. Gregorius II. Gregorius III. Zaccharias, Gregorius IV. Leo IV. Nicolaus I. Hadrianus II. Johannes VIII. Johannes XX. Leo IX. Nicolaus II. Gregorius VII. Victor III. Paſchalis II. Alexander. III. Gregorius VIII. Innocentius III.* Verba ipſorum, & loca exſcripſit, & propoſuit Launojus epiſtol. ad Raymundum Formentinum Theologum Pariſienſem, & Aurelianenſem Canonicum, ſcripta Pariſ. anno 1666. & continetur tom. V. Epiſtolarum. Hinc infertur: ſi Epiſcopus Romanus habet *Coëpiſcopos*, etiam habebit *Compaſtores*. Quod enim Græcè *Epiſcopus* dicitur, id Latinè *Paſtor* intelligitur; & unus (ſpecie) omnium eſt paſtoratus, ſicut eſt Epiſcopatus omnium unus, uti ex Cypriani epiſt. LII ad Anton. & lib. de unitate Eccleſiæ; Optati Milev. lib.II. adv. Parmen. Et Hieronymi Epiſtola ad Evagrium, & Symmachi P.R. epiſt. I. ad Æonium, &c. Probat Launojus idem p. 59. Si vero Romanus habet Compaſtores, ipſe non erit ſolus, de quo Chriſtus dixerit: paſce oves meas.

§. 40. *Excipis*: Omnes quidem Epiſcopos eſſe paſtores, ſed ſupremum & univerſalem paſtorem eſſe Pontificem Romanum; & talem intelligere Chriſtum, cum Petro dixit: paſce oves meas. ℞. Expoſitio hæc adverſatur expoſitioni ipſorummet Pontificum Romanorum, quando diſputarunt adverſus Oecumenicum Conſtantinopolitani Epiſcopi dominatum, ex eo fundamento, quod non ſit unus univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, à quo Eccleſia unicè pendeat; Pro hac ſententia Launojus allegavit Gregorii I. loca duodecim; & ſucceſſores Gregorii tres, Hadrianum I. in epiſtola ad Conſtantinum & Irenem; Nicolaum I. epiſt. ad Hincmarum & Leonem IX. epiſt. 1. ad Michaëlem. Confer, ſi placet, quæ nos alibi diſputavimus: Antiq. Eccleſ. Triſec. ſec. II. pag. 212. § 18. & ſec. III. pag. 544. & pag. 998. ſeqq. Exceptio.

§. 41. Tridentinam ſcripturas interpretandi regulam Pontificiis ipſis eſſe contrariam, tribus illuſtribus exemplis probavimus, & conſequitur inde Theſis XII. *Pontificios circa regulam interpretandi ſcripturas fundamentaliter* (quod dicunt) *diſſentire*. In eo quidem conveniunt omnes, quod amplectantur XII.

 verba

verba Sessionis IV. Tridentinæ, de modo interpretandi, vel explicandi scripturas; sed in *sensu* verborum istorum δὶς διὰ πασῶν dissentiunt. Nonnulli enim ita intelligunt verba, quod eum sensum tenuerit, & teneat, sancta mater Ecclesia, quem tenuit, vel tenet Episcopus Romanus, è Cathedra docens: Quo sensu capiunt, qui cum Cajetano παραλογίζουσι: *Impossibile est universalem Ecclesiam errare in fide. E. impossibile est Papam in judicio diffinitivo auctoritative errare in fide*: opusc. de potest. Pap. c. 9. Alii ita; quod eum sensum tenuerit, & teneat sancta mater Ecclesia, quem tenuit, vel tenet *Concilium*, etiamsi Pontifici Romano contradistinctum, & oppositum; sic Launojus, & Gallicanus Clerus communiter: Alii ita: quod eum scripturæ sensum tenuerit, & teneat Ecclesia, vel etiam is, qui genuinū sensum tenere vult; qui tenuit, vel tenet sensum, *unanimi patrum* Interpretū *consensu* approbatum; illum autem unanimem Patrum consensum æstimant ex testimoniis extantibus, plerorumque saltem, vel præcipuorum Patrum; Hoc sensu idem Launojus, & plures alii capiunt, quando pro explicatione alicujus loci scripturæ laudant explicationes nonnullorum patrum, ejusdem, vel diversorum seculorum, id quod Pontificiis solenne est.

§. 42. Hunc dissensum Pontificiorum inter sese de sensu regulæ Tridentinæ, dico, esse fundamentalem. Probo dictum: Quicunque dissentiunt in fundamento ipso explicandi scripturas, illi dissentiunt fundamentaliter: Pontificii dissentiunt in fundamento ipso, E. dissentiunt fundamentaliter. Major est clara ex terminis, & procedit à definitione ad ipsum definitum; Minor ex enumeratione diversarum inter Pontificios sententiarum §. præced. facta, patescit. Nonnulli enim eorū dicunt, Papam non posse esse hæreticum, nec fuisse unquam, nec errare posse in fide, quando ex Cathedra definit; Alii contra hæc omnia affirmant; Ad fundamentum autem interpretis scripturæ, sive recipiendi, sive repudiandi, hoc maxime pertinet, infallibilis sit, nec ne? Hæreticus esse possit, vel sit, nec ne? Unicus sit, nec ne? Requisita interpretationis, & definitionis observaverit, nec ne? Accedit, quod de sensu, & interpretatione Patrum antiquorum certi esse non possimus, nisi certi simus de auctoribus scripto-

rum,

rum, quæ allegantur, genuini, an adulterini circumferantur; deque ſenſu verborum, quibus ſcripturam explicant; De utroque vero horum inter Pontificios iterum controverſia eſt capitalis; neq; definivit adhuc dum ſive Papa, ſive Concilium aliquod, ſive Eccleſia ipſa Romana, aut Catholica, quæ veterum monumenta ſint genuina, quæ adulterina; quæve interpretatio ipſorum, Curialiũ, an aliorum, Theologorum ſit menti veterum, & ipſius Spiritus ſancti conformis? Hæc vero omnia in ipſum interpretandi incurrunt fundamentum.

§. 43. Conſequitur hinc Theſis XIII. *Regulam Tridentinam eſſe applicatu impoſſibilem.* Si enim conſideramus verba (1.) *quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia*, quæro, ubi ille ſenſus exſtet, ut certò ſciri poſſit? Forte in aliquo univerſali commentario, in quo contineantur explicationes omnium Eccleſiarum particularium, vel præcipuarum Orientis, & Occidentis, à Chriſto ad hæc uſq; tempora continuatarum? Sic quidem oporteret exſtare, ut haberemus ſenſum, quem tenuit, & adhuc tenet Eccleſia mater; Sed talis commentarius univerſalis nuſpiam terrarum exſtat. Forte igitur oretenus Eccleſia mentem ſuam circa ſcripturæ ſenſum explicabit? Neque hoc facit; Eſt enim Eccleſia nomen collectivum, ex pluribus individuis coagmentatum; aut igitur hæc omnia erunt audienda, aut quædam, aut unicũ; *Omnia* ut non adiri, ita nec audiri poſſunt; neque, credo, omnia conſpirarent in unam interpretationem, ſi omnino omnia & adiri, & audiri poſſent; ſed nec *quadã* poſſunt, hactenus, quatenus neſcimus, quæ ſint illa quædam? num reliqua ſuum ſenſum illis commiſerint ſignificandum? num bona fide retulerint? *Unicum* igitur individuum fuerit; At hoc neque eſt ipſa mater Eccleſia, quippe quæ ex pluribus conſtat; neque prius audiendum eſt nomine totius Eccleſiæ, quam probaverit, ſuum ſenſum eſſe totius Eccleſiæ ſenſum; *Imo* tali individuo reclamant illi omnes, qui etiam ex ipſis Pontificiis ſtatuunt, Papam errare poſſe, & ſæpius erraſſe etiam in explicanda ſcriptura ſacra: Taceo, ſi omnino Papa Romanus eſſet ſive ipſa ſancta mater Eccleſia, ſive os Eccleſiæ totius, tamen non idoneum eſſe, ex quo ſinguli diſcant ſcripturam intelligere, cum nemo hactenus Ponti-

XIII.

tifi-

tificum Romanorum totam ſcripturam authenticè explicuerit, ſive ore, ſive ſcripto; neque adiri ab omnibus poſſit, aut audiri, & intelligi tuto, dum ſcripturas interpretatur.

§. 44. Non minores difficultates ſeſe offerunt, ſi (2.) *unanimem Patrum conſenſum* conſideremus. Nam (1.) non omnes patres explicuerunt ſcripturas, & in ſcripturis loca difficiliora, & controverſa: quare impoſſibile eſt, omnium haberi conſenſum. (2.) Neque tenemus hodie omnium, qui explicuerunt, commentarios, quādoquidem magna eorum pars perierit, & quæ ſuperſunt, corrupta ſint, vel dubia, nonnunquam etiam plane adulterina. (3.) Neque, quod integrum ſupereſt, ab omnibus vel legi, vel intelligi poteſt, qui quidem genuinum ſcripturæ ſenſum deſiderant; (4.) Neque in ipſis inveniretur ille adeo deſideratus conſenſus, quoniam inter ſeſe nonnunquam conſentiunt, ut horologia, i. e. minimè. Hæ & ſimiles difficultates anxium ſcripturæ lectorem de conſenſu Patrum cogunt deſperare.

XIV. §. 45. Tandem res eo redit, ut Theſis XIV. ſtatuamus: *Regulam illam Tridentinam falſam eſſe.* Falſa regula eſt, qua obſervata falſum per ſe ſequitur; At talis eſt Tridentina regula, ut per ſe ſequatur, ſi cœca fide eam ſequamur: Probatur manifeſto exemplo de neceſſitate Euchariſtiæ etiam infantibus præbendæ: In hunc ſenſum antiquitatem quondam, ſive Eccleſiam ipſam, ſive Patres conſentientes ſpectes, explicuiſſe verba Chriſti Joh. VI. 53. in confeſſo eſt apud eos, qui antiquitatem ſciunt; Pone jam, regulam Tridentinam ſectandam eſſe, ultro ſequetur, falſo ſcripturam ſacram ſequendam eſſe, quia falſus eſt ille ipſi attributus ſenſus, tanquam de abſoluta Euchariſtiæ neceſſitate loqueretur. Porrò, ſi nonnullorum, & eminentiorum quidem, Patrum conſenſus in explicanda ſcriptura ſacra ſufficit, ut, tanquam ex communi conſenſu profecta, explicatio vera ſit, ſequetur, etiam eam veram eſſe, quæ tamen falſa eſt, & habetur, ab ipſis Pontificiis; *Probo*: Origenes præcipuus eſt, & antiquiſſimus ſcripturæ interpres; ſed quam infelix, ipſi Papiſtæ non diffitentur; & tamen eum ſecuti ſunt plerique & præcipui Patres in explicanda ſcriptura, Didymus, Hilarius, Hieronymus, Ambro-

Ambrosius, Eusebius, aliique; neque semper, imo raro, expresserunt, esse eas Origenis, non suas, explicationes, quare incautus lector, dum Hieronymi, vel Ambrosii explicationem aliquā legere se putat, Origenis legit Pseudhermenias. Fatetur hoc Sixtus Senensis lib. IV. Bibl. sanct. p. m. 303. de præstantissimo scripturarum interprete Hieronymo: *Solet Hieronymus*, inquiens, *in colligendis veterum explanationibus sæpenumero illorum sententias, & interdum quoque nonnullas aberrantes & absurdas opiniones referre, suppressis nominibus auctorum, quos ad evitandum lectoris tædium semel in præfationibus librorum nominare consuevit, omissis etiam aliquando modestiæ gratia confutationibus earum opinionum, quod eas alibi plenissimè confutasset: quo fit, ut dum sine discrimine permiscet aliena suis, videatur nonnunquam aliorum errores recipere, & ex animi sui sententia pronunciare; Atque hinc occasionem utcunque nacti sunt Hieronymiani obtrectatores, insectandi eum, quod Hæreticorum dogmatibus omnia pene commentaria sua resperserit.* Subjungit quidem etiam Hieronymi defensionem, sed ita comparatam, ut non sufficiat; Etsi enim interdum addiderit: *Quidam hoc dicunt; alii hoc autumant; nonnulli sic sentiunt*; Non tamen ubique id addit; neque, qui sint illi *quidam, & alii, & nonnulli*, exprimit; multo minus hæreticos esse, & hæreticas, vel falsas, esse ipsorum interpretationes, & à sua discrepantes, addit, ut caveri illæ possint. Vide Johan. Dallæ. de usu Patr. c. 6. p. m. 151. Accedit Patrum ignorantia, quod linguas originales attinet, & imprudentia, dum versiones vitiosas, utplurimum Græcam LXX. Interpretum, in explicanda scriptura sacra sectabantur; Hinc factum est, ut errantibus versionibus, & ipsi errarent in scriptura explicanda.

§. 45. Sufficiat unicum indigitasse locum, Prov. VIII. 22. ubi in Græco habetur ἔκτισε *creavit*; pro ἔκτησε, vel potius ἐκτήσατο *possedit*; Christophorus Sandius, Neo-Arianus, in appendice paradoxarum interpretationum, pag. m. 333. locum hunc producit, & ejus versiones aliquot, nimirum non Græcam solum LXX. interpp. sed etiam Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, & vulgatam antiquam; quæ omnes legant: creavit, vel condidit; His jungit suffragia XXV. Patrum antiquissimorum, qui

Exemplum Prov. VIII. 22.

perinde legerint ἔκτισε, vel ἐκτήσατο, creavit, vel condidit, ſunt autem iſti patres: Ignatius Martyr, Juſtinus Martyr, Athenagoras, Tatianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Lactantius, Euſebius Cæſar. Athanaſius, Meletius, Hilarius, Nazianzenus, Ambroſius, Baſilius, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Ithacius, Arnobius Junior, Fulgentius, Vigilius. Subjungit Philonis ſuffragium; Et interpretationes Patrum ad loca parallela. Lectionem hanc duo potiſſimum abſurda ſunt conſecuta (1.) Quod nonnulli Patrum inciderint in errorem Arianorum, ſtatuentes, Filium DEI eſſe creaturam: (2.) Quod alii coactè ſcripturæ iſtum locum explicuerint, dicentes: creare & gignere eſſe interdum ſynonyma; creaſſe Patrem ſuum filium, dum genuit *ſine imminutione aliqua ac demutatione*, uti loquitur Hilarius de Synodis, creaſſe, quando humanam naturam filius aſſumpſit, ſeu quando ſecundum humanam naturam genitus eſt, & legunt: *creabit*; ut Ambroſius & Chryſoſtomus; creaſſe non ſimpliciter, ſeu *ſecundum ſe, ſed ſecundum progreſſum, quem ad creandum facit*, juxta Gregor. Nazianz. orat. IV. de Theol. Creaſſe, dum fecit creare alias creaturas, exponente Athanaſio orat. III. adv. Arianos; Confer Cornel. à Lap. Comment. ad l. cit. Quis vero dixerit, eam Patrum inter ſeſe in verſione conſentientium interpretationes eſſe ſcripturæ ſacræ, & ſpiritus ſancti menti conformes? Qui plura velit exempla interpretationum ejusmodi patriſticarum à genuino ſcripturæ ſenſu abeuntium, adeat unius antea nominati Sandii Interpretationes paradoxas. Nam tot deprehendet earum, quot plus quam ſatis fuerint, probando, conſenſu Patrum in explicanda ſcriptura non ſemper ſtandum eſſe.

Manet igitur regulæ Petrinæ ea integra laus, quod ſola illa ducat ad mentem Spiritus Sancti; *Et quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſraëlem* DEI! Amen!

Doctiſ-

Doctissimo Dn. JOH. DANIELI BUCHIO,
Amico suo pl. dilecto.

ASsiduè volvis relegisq; volumina sacra
Optume BUCHI, *quem pietas studiumq; sacrarum*
Rerum mirificè commendant. Est TIBI *cura*
Lex Domini, quam quæris. TE *quoq; curat JOVA.*

scr.

Johannes Faust, D. PP. Colleg.
Philos. p. t. Decanus.

Ad Eximium Dn. Respondentem,
Amicum dilectum.

SCriptura in sacra loquitur quia Spiritus unus,
Scriptura interpres sufficit ipsa sibi.
Spiritus ille DEI solus divina revelat
Dogmata, quæ loquitur solus & ille docet.
Hoc TU defendis. Cedet feliciter omne,
Quicquid agis. Studiis hoc decus adde Tuis.

scr.

Isaacus Faustius. D.

Pereximio atque Præstantissimo Dno.
Respondenti, Amico suo perdilecto.

QUis sit scripturæ sensus genuinus, & ipsi
Divinæ menti congruus? ergo rogas;

Num,

Num, quod Roma putat, quem conda Ecclesia promit?
Aut Patres, quando convenit inter eos?
Aut pater ille Patrum, Romanus Papa, revelat?
Aut quem Concilium plenius esse putat?
Num quem fisa sibi ratio? vel spiritus albus,
An niger, in somno voce silente loquens?
Nullus is est! igitur quis erit? quem spiritus edit
Ille Prophetarum qui dedit ora loqui!
Ille suam verbique sui vult prodere mentem
Per loca scripturæ splendidiora suæ.
Quare scripturæ mentem si nosse laboras,
Obscuris confer splendidiora locis:
Idque tuum, quod habes, libri Te, *Buche*, docebit
Nomen, & æternis inseret id tabulis!

In gratiam
Auditoru sui hactenus
diligentißimi f.
Exercitii
Præses.

Præstantiß. Dn. Respondenti,
Amico suo pl. dilecto.

Divini, *Buchi*, quæ sit sententia verbi
Ignorat Ratio, Spiritus ipse docet.
Optimus Interpres verborũ est quisq; suorũ,
Dicere qui possit quid sua dicta velint.
Spiritus est Author verbi, hoc Interprete gaudet,
Hoc spirante doce dogmata sancta DEI!

grat. scrips.
M. Joh. Joachim Zentgraff/
Eccles. Neopetr. Wilh. Pæd.

